

Distinctō orbū tam celestū

q̄ elementarium.

Oporalis mundi machina tota consistit in duobus. scilicet in natura celestis et in natura elementari. Celestis autem distinguitur in tres celos principales. scilicet empyreum. crystallinum et firmamentū. Intra firmamentum vero quod est celum stellarum continent septem orbis septem planetarū qui sunt Saturnus. Jupiter. Mars. Sol. Venus. Mercurius. Luna. Nomine autem celi crystallini siue aquei intelligitur prima pars materie prime que secundum philosophū formata est in duos orbis: quorum superior est primū mobile. Istorum orbium natura est quod omnes mouentur: excepto empyreo celo: quod quietū est. Natura vero elementaris in quatuor speras principales distinguitur. scilicet ignis aeris. terre et aque. Spera ignis tria habet interstitia videlicet: supremū quod vocatur igneus: ac mediū et infimū quod vocatur olympium. Aer similiter habet tria interstitia: scilicet: supremum quod vocatur ethereum: et medium ac infimū quod dicitur aereum. Et in supremo est calor et lux propter solis propinquitates. Similiter est et in infimo: sed propter radiorum repercussionem a terra. In medio autem interstitio ad quod non peruenire potest repercussio radiorum est frigiditas et obscuritas: in quo dicuntur habitare demones qui detrusi sunt in hunc aerem caliginosum. Ibi etiam sunt tempestates: scilicet tonitrua: grandis: niues: et filia. Ex his collige duodecim orbis mundi terram et aquam ambientes: qui omnes celi possunt vocari. Istos autem excellit celum trinitatis ipse deus qui est in omnibus et super omnia. Distantia predictorum orbium et planetarum hec est. A terra usque ad lunam sunt miliaria. xv. dc. xxv. miliaria. hec sunt stadia. cxxvi. A luna usque ad Mercurium sunt miliaria. vij. dccc. xij. et semisse. A mercurio usque ad venerem tantū. A venere usque ad solem. xxij. cccc. xxxvi. A sole usque ad martem sunt miliaria. xv. dc. xxv. A marte usque ad iouem. vij. dccc. xij. A ioue usque ad saturnum tantum. A saturno usque ad firmamentum. xxij. cccc. xxxvi. Ex istis sequitur quod a terra usque ad celum stellatum sunt centum et nouem milia: et ccc. lxxv. miliaria.

Distinctio celestium hierarchiarum.

O celesti vero natura triplicem quidam posuere distinctōnem. scilicet supnatūralem. id est supcelestem. celestem et subcelestem. Supcelestis est in tribus personis ut quidam dixerunt et male. quia secundum Dionysium hierarchia dicitur ordinē: et ille absolute non est in tribus personis sed tamen ordo nature. Celestis in ordinibus angelicis. Subcelestis in hominibus sanctis. Porro hierarchia celestis diuiditur in superiorē: mediā et inferiorē. Superior continet tres ordines scilicet seraphin et cherubin et thronos. Quorum principes considerant dei bonitatem. Secundum cuncti virtutem. Tertium quietatem. Item in primis deus amat ut charitas In secundis noscit ut veritas. In tertijs sedet ut iustas. Media continet

dominationes principatus potestates. Quorum primi officia regunt angelorum. Sequentes capitibus presunt populorum. vltimi potestatem coercent demonum. Item in primis dominat ut maiestas: in sequentibus regit ut principat: in vltimis tenet ut salus. Inferior hierarchia similiter continet tres ordines. scilicet virtutes. archangelos. angelos. ad quorum priores pertinet miraculorum operatio. ad secundos maiorum negotiorum denunciatio. ad tertijs humane custodie sollicitudo. Item in primis deus operatur ut virtus. In secundis reuelat ut lux. In tertijs nutrit ut inspirat. Hec dicta sunt secundum Gregorium. Sed secundum Dionysium virtutes sunt medius ordo hierarchie secundum deum: principatus primus ordo tercię hierarchie. Hoc attende quod in qualibet trium hierarchiarum premissarum notatur trinitas personarum diuinarum: ut patet in celesti hierarchia tam superiori quam media quam inferiori.

De tempore siue etatibus.

Mundi etates accipiuntur similitudinarię iuxta etates hominis: sunt autem sex etates mundi. Quarum prima incipit a mundi creatione et durat usque ad diluuiū: et habuit secundum hebraicam veritatem annos. 1656. Secundum septuaginta interpretes (sicut Isidorus exponit) et alios quam plurimos quos hic sequimur huiusmodi annos. 2242 et sic differunt in annis. 586. quos hebrei minus habent in hac etate: et iuxta hanc computationem matusalem mortuus est ante diluuiū: eodem tamen anno quo diluuius fuit. Secunda etas incipit a diluuiō: et durat usque ad natiuitatem abrahe: et habuit secundum hebreos annos. 292. secundum septuaginta. 942. et sic differunt in annis. 650. quos iterum hebrei minus habent. Que autem sit ratio tante diuersitatis inuenire non potui. Tercia etas incipit a natiuitate abrahe: et durauit usque ad iniciū regni Dauid huiusmodi secundum hebreos annos. 941. secundum septuaginta. 940. Quarta etas incipit a principio regni dauid et durat usque ad transmigratōem babilonis: et habet annos. 484. secundum hebreos. secundum septuaginta. 485. Quinta etas incipit a transmigratōne babilonis. scilicet quoniam hierusalē destructa fuit: et templū in ea incensum: et durauit usque ad benedictā natiuitatem christi habens annos secundum hunc modum preactum quem hic sequimur 590. Et sicut predictum est grandis est altercatio de supputatione annorum huiusmodi etatis diuersi diuersimode computat. Sexta etas incipit a christi natiuitate et durat usque ad finem mundi cuius terminum solus deus nouit et hec dicitur senectus: siue hora nouissima. His autem etatibus potest adiungi septima etas que est quiescentius. et currit cum sexta: et octaua etas que est resurgentium. Porro secundum hebreos in prima etate mundi sunt generationes. x. In secunda. x. In terciā. xiiij. In quarta xvij. quas tamen Matheus gratia misterij. xiiij. ponit. In quinta. xiiij. Etates autem hominis sunt iste. Prima est infantia hominis a natiuitate hominis usque ad annos. 7. Secunda etas est puericia usque ad annos. xiiij. Tercia etas est adulescentia a. 15. anno usque in. 38. Quarta est iuuentus usque ad. 49. Quinta est senectus a. 50. anno usque ad. 79. Sexta est decrepita etas ab anno. 80. usque dum vita finit.